



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **R. P. Ludovici Richeomi Societatis Ies. Valedictio Animæ Deuotæ**

**Richeome, Louis**

**Coloniæ, 1610**

De vestimentis & loco filiorum Adæ. Colloq. XXVIII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50753](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50753)

*De Vestimentis & loco Filiorum  
Adæ.*

## COLLOQVIUM XXVIII.

**N**VNC quoniam de vestimen- **THEO.**  
tis & loco parētum copiosè  
fatis differuimus, incipiam<sup>9</sup>  
iam nunc eadem in illorum filijs  
considerare, fateamurque tandem  
ijsdem nos qualitatibus præditos es-  
se, qui hæredes tam illorum quam  
mortis sumus: agnoscamus etiam  
considerationi nostræ ea inseruire  
debere, quo à peccatis quam alie-  
nissimi semper inueniamur: videamus  
quomodo mortem vt hæredi-  
tatem acceperimus, quomodo id ex-  
perientia doceat, & plerique ma-  
gno cum dolore deprehendant. Ve-  
rùm quousque vestimenta quibus  
vtimur non agnoscemus eiusdem  
qualitatis esse cum nostrorum pa-  
rentum amictu, & nostræ conditio-  
ni quam maximæ accommodata?  
quousque sensus nostri vi consue-  
tudinis præstricti & fascinati splen-  
dida nobis esse illa persuadent? si  
præ-

præfertim ita elaborata sint, ut ho-  
 minibus præclarum quid & graphi-  
 cum præferre videantur? An verò  
 illa aliud sunt quam facci doloris  
 atque moestitiæ, & testimonia no-  
 stræ paupertatis, ac texturæ ex mor-  
 tis spolijs & excrementis? Nam quid  
 quid pellium, quidquid serici, quid-  
 quid pannorum est, quidquid telarum,  
 auri, argenti, gemmarum, aliarumque  
 rerum quibus homines naturali tur-  
 pitudini facum facere, & se exorna-  
 re solent, ab alijs mutuata & acci-  
 ta sunt, ab vna autem morte omnia  
 profecta: & quanto quis cupidius  
 ardentiusque ea confectatur & ap-  
 petit, tanto se pauperiorem & mor-  
 te plus suffarcinatū esse profiteetur.  
 Nam qui plurimarum rerum indi-  
 gus est, reuera etiam pauper est: ille  
 enim qui pallio, fago, thorace, pile-  
 oque indiget, plurium rerum inopia  
 laborat illo, qui galero tantum de-  
 stituitur: & duo milites opibus pa-  
 res si sunt, vnusque eorum omni ex  
 parte armari velit, quis non videt  
 indigentiorē istum eo esse, qui so-  
 lum gladium sicamve desiderat? quique  
 mille

mille aureos concupiscit, maiore auri siti flagrare illo cui decem satis sunt? Ecce tibi itaque cur auarus, cur sordidus, cur illiberalis tanto pauperior sit, quanto locupletior ditiorque efficitur: nam quantum bona accrescunt, tantum etiam illius cupiditatem crescere augeri que necesse est, & indies effici pauperiorē. Ille ergo qui plus vestimentorum circumfert egentior est: nec enim illud accidere potest, nisi aut propter corporis aduersam valetudinē, aut statum aut conditionem id requirentem, aut ambitionem vnicē eo gaudentem & indigentem, ex quibus omnibus illud sequitur inopem istiusmodi esse, & ad talia vsurpanda compelli. Adam in paradiso terrestri corpore nudus erat, animam autem pulcherrimis virtutum ornamentis condecoratus, cumque nullius admodum rei indigeret, pauper non erat, at postquam eo eiectus fuit, quemadmodum iam interius egenus erat, ita quoque exterius confestim inops esse incepit. Filij sui indies de malo in peius ruerunt, & pa-

*S. Basil.*

*hō. quod*

*Deus non*

*sit auctor*

*mali. G.*

*S. Ambr.*

*lib. 1. de*

*Par. c. 13.*

tre:

tre ipso pauperiores effecti sunt  
 nam pro pelle veruecis opus habent  
 exuuijs bestiarum & plantarum: ita  
 que cum parens habitu moeroris  
 vteretur, isti plures multò sibi ini-  
 ciunt, quod & sui curam non gerunt,  
 & quod miserandum prorsus, in fu-  
 nebri pompa superbiunt atque in-  
 flantur. Verùm si omninò fieri po-  
 test, aperiamus oculos, excitemus  
 dormientes, & fructum vberimum  
 huius considerationis non negligamus.  
 Ille qui serico tegitur, auro ri-  
 get, lapidibus pretiosis splendet,  
 quibus fides ille vestitus est, vnde  
 gloriari, & se iactare potest, nisi de  
 spolijs & spumis maris? quæ nã con-  
 uenientia inter corpus viuentis est,  
 & putrefactas particulas quibus cõ-  
 tegitur? quæ similitudo inter artem  
 affectatam & simplicem naturam?  
 Cùm simiam quampiã, aut struthio-  
 camelum braccis indutum conspi-  
 camur, in risum soluimur, quod vi-  
 delicet amictus iste naturalis non  
 est; cumque eum bestijs adhibitum  
 videntes, propter nullam conueni-  
 entiam & proportionem, in risum  
 effun-

*Multa  
 vestes  
 arguunt  
 inopiam.*

effundimur, quid amabo aliud quam  
nostros solœcismos ridemus? Nam  
miserum illud animal etsi nihil pos-  
sit aut promereatur, scopus tamen  
nostrorum cachinnorum & sibilo-  
rum est: verum si omnes bestia ab-  
surditates nostras notare, insolentiã  
in habitibus à nobis vsurpatis & ex-  
cogitatis capere possent, si eodẽ mo-  
do ridere & propter vestimenta nos  
exsibilare, quæ eorum dorsis ac ter-  
goribus detraximus, nostrisque im-  
posuimus, quid tu obsecro dicturas  
illas esse arbitraris? quãto, sodes, iu-  
stio-rem ob causam cachinnum tol-  
lerent, hominem bestia vestitũ cõ-  
spicantes? quid oves balarent velle-  
re suo quempiam mirificè superbiẽ-  
tem vidẽtes? quid lupi vlularent, qd  
vulpes gannirent, quid feles bauba-  
rent, leones rugirẽt, boues mugirẽt,  
equi hinnirent, asini ruderent, totus  
deniq; bestiarum mũdus quid dice-  
ret; istiusmodi nonneminẽ pellibus  
suis vestitũ, calciatũ, & suffarcina-  
tum contemplantes? quid struthio-  
cameli, quid pauones clamitarent, si  
plumas suas, caudas, & alas in ho-  
muncionis cuiuspiam capite ac

galero viderent? Et si quaelibet bestia iure suo uti vellet, sua ubicunque reperiret abducere, quid demum pauperibus istis relinqueretur, ascitijs tantum & mutuatis cultibus ut Scenici & theatrales Reges exornatis? Quid demum si intelligere possent mortalium ita plerosque emotæ mentis esse, ut earum excrementa vendere, ijs negociari, vestimenta que perspergere non dubitaret, quo aliquanto gratiorem afflent odore? Iam verò quid tu cælum dicere putas intuens puellæ Christianæ mundum muliebrem, & præcipuè caput grauatum gemmis ac lapidibus pretiosis, ut vano ita verè monstroso fastu effictum & efformatum? crines intortos & serpentum spicas imitantés, erectos in morem vesperilionum? vestes fenestratas, distinctas, variegatas, plicatas, & mille modis deformatas & decoloratas? aures traiectas, annulis flauentibus & albicantibus grauatas, ac lapidibus pretiosis insignitas? An istud est suam qualitatem, suam conditionem, statum denique suum agnoscere istud

est? hoc videlicet est modestiã Christianam conseruare, hoc poenitentiam in terra exilij facere? an non est hoc fateri animam suam sordidam, leuem, inconstantem, & vanissimis nugis pastam? Et quid tu Iesum Christum capitibus istis serpentinis ridiculè deformatum, cincinnatis, & calamistratis putas facturum? quid cum auribus istis, fractis, circinatis, & perforatis? annon eas scopum quẽdam in extrema iudicij die esse volet, in quem omnium illusiones ac risus colliment? De antiquis *Plin. lib.*  
 Tartaris accepimus, quod pelles vnà *7. ca. 2.*  
 cum ipsis pilis hominum capitibus *Habitus*  
 detractas, loco palliorum aut præte- *barbaro.*  
 gminum seu præligaminum quibus stomachum ac pectus fouerët vsurparint, & quanto quis pluribus tessarum suffarcinasset, tanto magis graphicus & nitidus fuerit iudicatus. Tu verò si istiusmodi aliquem conspiciari potuisses, quam præclarè risum non tenuisses? quàm lepidè barbaram illam stultitiam exhibuisses? an verò Angelos nostrorum hominum ineptiam & absurditatem conspicien-



spicientes non ridere putas centies  
 istorum fatuitate maiorem? Illi hu-  
 manis pellibus nullo artificio poli-  
 tis aut elaboratis induebantur, nos  
 verò extrema curiositate instigati,  
 bestiarum exuijs amicimur: Illi v-  
 no genere contēti erant, nostra pau-  
 pertas omnibus expleri non potest.  
 Non est hoc alienis bonis abuti, me-  
 rorem suum pro lætitia vsurpare, &  
 flagitia ac superfluitates pro pompa  
 & ornamentis circumferre? annon  
 est hoc tanto se opulentiorem arbi-  
 trari, quanto pauperior sis, tanto  
 comptiorem & venustiore, quan-  
 to pluribus pannis premeris & one-  
 raris? An verò vestimenta etiam no-  
 stra tanti sunt, vt propter ea inflari  
 & efferi debeamus, cum reuera ne-  
 minima quidem bestiola non splen-  
 didius, non ornatius, non melius ve-  
 stita sit, quam vel omnium huius  
 mūdi comptulorum comptissimus?  
 An verò bestias tantum dico? Iesus  
 Christus reuera amplius ait, quan-  
 do Apostolis suis spem & curam o-  
 mnem in Deo defigēdam esse incul-  
 cabat: *Et de vestimentis quid solliciti  
 estis?*

*Matt. 6.*

*28. 29.*

*Luc. 12.*

*27.*

estis? considerate lilia agri, quomodo  
 crescunt, non laborant neq; nent. Dico  
 autem vobis quoniam nec Salomon in  
 omni gloria sua compertus est, sicut v-  
 nura ex istis. Præfert ergo non modò  
 tunicas bestiarum, sed etiam plantã  
 agrestem omni Regum fastui & or-  
 namentis, quantumuis auro, purpu-  
 raq; coruscantium, & vestibus super-  
 bissimis cõdecoratorum. Quis verò  
 veritatem istam arbitraretur nisi i-  
 pla veritas euidenter docuisset? Age  
 ergo eam intelligere studeamus, &  
 glossam istorum verborum nõ per-  
 functoriè aut aliud agentes præ-  
 teruehamur. Ait itaq; Dominus no-  
 ster, lilia neq; nēt neq; laborant, hoc  
 est, eorum vestimenta sicut cæterarũ  
 plantarum ac etiã animalium omniũ  
 nõ arte ficta aut elaborata sũt, sed à  
 natura formata, atq; excogitata. Tria  
 ferè sunt quæ in quolibet vestimẽ-  
 to perpendere solemus & conside-  
 rare, facilitatẽ, vtilitatẽ, & pulchri-  
 tudinẽ: lilia ergo suũ vestimẽtũ cõ-  
 sequuntur ipso incremento, maxima  
 facilitate absq; mutuatione, absque  
 molestia, absq; labore: ignorant illa  
 cholum

cholum, textrinam non adeunt, ful-  
 lonem non accedunt, nō tinctorem,  
 non limbolarium, non sartorem.  
 Nunc illorum etiam vestimentum  
 vtilissimum est: nam folia illa gran-  
 diuscula quę sub hyemem ad pedem  
 enata sunt, non aliter quam den-  
 sissimę tunicę solent, à frigore ea  
 defendunt, sub æstatem verò eadem  
 omninò iucundissimę illa refrige-  
 rant, etsi sub id tempus alteri quoq;  
 vsui sint: nam diu in altum excre-  
 cunt, erectoq; caule cælum intue-  
 tur, primo suo cortice tenerrimo  
 planè teguntur, non aliter quam nos  
 delicato indusio, qui per follicula  
 inserpens paulatim contegit, & ve-  
 lut tunica inuoluit. Pulchritudo au-  
 tem ipsa in materia & forma confi-  
 stit, quę vtraque si vllibi, hic reuera  
 excellentissimę sunt: nam materia  
 viuens seu vita prædita est, omnibus  
 pannis quantumuis pretiosis vt Phi-  
 losophis placet venustior atque no-  
 bilior: nec verò pro se tantum viu-  
 est, sed plantam quoque quam tegit,  
 alit atque sustentat: ipse verò color  
 viridis, candidus & flauus, qui cum  
 musco

musco naturali in hac tunica reperiuntur, annon quodlibet tinctorum artificium, quemlibet odorē pharmacopæorum longissimo post te spatio relinquunt? Forma porrò ipsa annon mirabilis est? Nam mensuram iustissimam habent, & proportionē una cum corpore crescentem, nunquam deficientem, nunquam superfluum. Vestimenta autem Salomonis nunquid simile quid præ se ferebāt? Nequaquam: Erant enim propria mendicorum, magna cum difficultate & labore facta, à natura mutata, & arte elaborata. nō sufficiebant ea illi tempore brumæ, non calefaciebant Regem suum, nisi ipsamet ante luculēto igni admota fuissent: non refrigerabāt illum, nec ab æstivis caloribus defendebant, nisi ante sub tectum, & sub umbraculum cōfugisset: materia à mortuis petita erat & nimio perē à corporis natura diversa: forma autem ipsa curiosa: & quid quæris? molesta etiam, quippe quæ mensuram iustam excedebat. Vides ergo iam nunc optime à Salvatore liliū unum Salomone

K ipso

*Habitus  
natura  
artificia-  
li specio-  
sior.*

ipso ornatius esse. Vides quomodo  
bestiæ à natura amictæ ac tectæ me-  
lius nobis vestiantur, quos sarcinæ  
premunt vestimentorum. Vides vi-  
earum cultus & habitus quam ma-  
ximè naturæ conueniens sit, noster  
autem immani cum labore ab arte  
elaboratus. Barba virum, comæ  
mulierem longè mihi crede, venu-  
stiores faciunt & ornatiorem,  
quam mundus ille foemineus & ac-  
cita aliunde ornamenta, quæ à na-  
tura ijs data sunt: ipsa verò etiã  
corporis proportio, & membrorum  
viius ac sanguineus color barba &  
capillis speciosior est, quia natura  
conuenientior, Salomon ergo in  
gloria sua coopertus purpura &  
serico, rigens auro, horrens ad  
mantibus, flammicans smaragdini  
carbunculis lucens, sapphyris co-  
ruscans, & alijs lapillis quos homo-  
num industria & vanissima curio-  
sitas pretiosos voluit appellari, non  
ornatum, non cultum, non veste-  
liliorum æquabat. Habitus lili-  
orum vitalis est, istius verò Regis  
quemadmodum omnium aliorum

Adæ filiorum mortalis & capitalis  
 etſi aliquando regalis fuerit: am-  
 ſi Adam notorio illo inobedientiæ  
 crimine ſe non contaminauiffet,  
 nec ipſe, nec Reges, nec nos, iſtis af-  
 citiſijs indigeremus: veſtimenta  
 illius erant, ait Sanctus Bernardus  
 poſt Diuum Ambroſium, virtutes:  
 delictum ergo illi neceſſitatem  
 impoſuit vt veſtiretur, ad vere-  
 cundiam contegendam: Hoc in-  
 quam delictum non modo Patrem  
 ſed filios etiam ad iſthæc veſtimenta  
 confugere coegit: etſi vero pla-  
 nè verius ſit poſteritatem multitu-  
 dine ſclerum poſt primum pro-  
 genitoris admiſſorum, eò erupiffet,  
 prorfus vt in obliuionem ſuæ con-  
 ditionis prolaberetur, & cum ge-  
 mere deberet tripudicaret: reuera  
 non aliter quam ſi Iudæi flauis ſuis  
 galeris, qui patribus ſuis in ſempi-  
 ternam ignominia notam impoſi-  
 ti ſunt, mirificè gloriari vellent,  
 poſtquam eos ſerico concinnauiſ-  
 ſent, aut è materia ſplendida con-  
 fuiſſent. Porrò Dominus quoque

Noster qui paupertatem & vanitatem  
 nostram, comparatione inter Salo-  
 monis & liliorum vestimenta infi-  
 tuta, luculenter demonstravit, in sua  
 etiam persona & corpore præclare  
*Mat. 25.* ostendit omnia nostra indumenta  
*35.* iusdem conditionis esse, & amidi-  
*Marc. 15.* protoplasti multò quam simillima.  
*24.* Ille enim duplici admodum vesti-  
*Luc. 23.* mento usus est, vno quod ei glorio-  
*34.* sa Virgo & Mater Maria consuevit,  
 quodque postea in passione porta-  
 vit, & sacrilegæ tandem militum  
 læ expositum victori cessit: alterum  
*Mat. 27.* purpureum quo Herodes & Pilatus  
*28.* eum induerunt, superiniecta iuxta  
*Luc. 13.* in humeros alba stola, qua omnium  
*31.* ludibrijs & cachinnis p[ro]p[ri]abarum  
 & velut criminis publici reus spe-  
 ctandus obijciebatur. Et quid obli-  
 cro aliud hoc clamat, quid indicat  
 quid testatur, quam omnia ornam-  
 ta & vestes hominum, quorum pec-  
 catis grauat[us] ipse fuit & oneratus  
 vestes reorum esse, vestes ludicra  
 stultorum, & delirorum? Certè  
 ut ij qui in carcere patre constituti  
 ipsi quoque in carcere nascuntur

nihil incommodi, nihilque mole-  
 stia ex habitatione illa persentif-  
 cunt, sed hilares, sed ex porrecta  
 frontis sunt. Sic nos filij tenebrarū  
 angustis huius mundi terminis cir-  
 cumscripti, stolidè in eo gaudemus  
 & exultamus: etsi qui ingenijs me-  
 lioribus non crasso illo aere nati  
 sunt, facillimè agnoscant, vbi gen-  
 tium, vbi loci res nostræ sint atque  
 versentur. Certè magnum & illustre  
 illud nomen Thomas. Morus Cau-  
 cellarius quōdam Regis Anglorum  
 eum propter religionem carceri  
 mancipatus, omnibus bonis euersus,  
 & dignitatis insignibus spoliatus,  
 quotidie mortem præstolaretur, &  
 aliquando à compluribus Dominis  
 magnoperè ipsi compatiens vi-  
 sitaretur, nihil aliud post grauissimè  
 nonnulla dicta respondit, quàm mun-  
 dum hūc vniuersum carcerem esse,  
 in quem è Paradiso depulsi omnes  
 simulac nascimur, conieimur, &  
 ineuitabili necessitate rursus egre-  
 dimur causam nostram coram Iudi-  
 ce immortalis acturi: se autem quam  
 maximas Deo gratias agere, quod ex

*Sand. l. 1.**de schif.**Angl.**1533.**Hen. 8.*



duobus malis minimum sibi elargitus fuerit, seque in angustum potius quam in vastum illum ac spatiosum carcerem compegerit. Quanto ergo melius diuini iudicij vir conditionem vallis huius miseriarum agnouit, quam mundi illi affectu, terræ aulici, & carceris obidi similitudine Augiæ stabuli inquilini?

*Plurimis iudicijs & legibus mortuæ terrorem Deum mundo iniecit, quo peccata puniret & extirparet.*

## COLLOQUIVM XXIX.

**T H E O.** **V**IDEAMVS nunc quomodo eadem diuina prouidentia virga hac vfa fuerit, vt effrenes illos mundi inquilinos coherceret, inque officio contineret: dum sepe numero morte non committitur aut vulgari, sed violenta, sed prodigiosa in facinorosos animaduertit, quò extraordinaria eos poenā afficiens, extraordinario mortuæ terrore ad quidlibet aut facinorosum